

Pars I. *Ἰετικὴ*. Affirmativa.

21. *Θέσις* tribus questionibus commodissime absolvi posse videtur: Quarum i. ipsam Sacramenti hujus materiam sive substantiam describit. ii. modum exponit, quo ea & dispensetur, & accipiatur: iii. ipsos Convivas sacratissimi hujus Epuli notat.

QUAESTIO I.

De Materia sive substantia Coenae Dominicæ.

22. Est igitur Sacramenti hujus substantia secundum Confessionis determinationem, Corpus & sanguis Christi: Panis & vinum, cum quibus illa verè adsunt & exhibentur in Sacramenti huius usu.

23. Proinde substantiæ hujus integritas, non unâ, sed duabus & quidem toto genere discrepantibus partibus absolvitur: quarum una est terrena, Elementaris & visibilis: nempe, Panis & vinum: altera cœlestis, Spiritualis, invisibilis, nempe Corpus & sanguis Christi,

Dua-